



LECTORI
ERVDITO ET AEQVO

S. D

IO. CAROL. ZEVNIUS

PROF. GR. LITT. VITEBERG

Ad hos Xenophontis de sermonibus Socraticis commentarios edendos non ausus essem accedere, si spes vlla fuisset reliqua, Ernestum V. Cel., tam saepe et egregie de hoc quoque libro meritum, posthac novam curaturum esse editionem. Verum cum ipse in praefatione ostendisset, se in editione quinta curam huius libri deposuisse, et ipsa aetas Viri ingrauescens spem rei omnem eripere videretur: facile a Fritschio meo, Viro honestissimo, induci me passus sum, vt, exemplis Ernestinae editionis, cuius ille erat redemptor, diuenditis, hanc quoque Xenophontis scriptorum partem meo modo ederem. Sed, ne lectorem notis Ernesti praeclaris spoliarem, rem ita temperandam duxi, vt plerasque omnes, quae a meis rationibus non prorsus abhorrere viderentur, ex editione illa quinta in meam transferrem, seruatis ipsis auctoris verbis. Quodsi siue in textu, quem vocant, constituendo, siue in locis explicandis interdum a recepta sententia recedere sum coactus; dissensum illum potius vel lectionis denuo repertae auctoritati vel aliis causis, quas semper in notis attuli, lector beneuolus tribuet, quam leuitati turpi animi aut arrogantiae; quae suspicio eo minus valere debet, quo lubentius saepe

a 2 pro.